



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 135. Juramentum a Ferdinando coram Madriti Ordinibus innovatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

fortitudine clarissimis trucidatus est. Post hæc turbatis exercitus Hispani ordinibus, una omnes præcipiti fuga dilapsi sunt; equidem Navarra, qui ultimæ aciei præerat, protinus accurrit, ac fugitivis ad signa revocatis, infausti impetus damna reparare adlaborat. Ast infirmam esse suorum vim comperiens, & ipse navem repetendi consilium cepit. Desiderata sunt in hoc conflictu Hispanorum quatuor millia & amplius, qua cæsa, qua capta. Navarra demum Tripolin redeunte, Mauri Zafinensem urbem obsederunt, inde vero recedere compulsi sunt.

Sæcul. XVI.

A C. 1510.

§. CXXXV.

*Juramentum a Ferdinando coram Madriti Ordinibus innovatum.*

Hoc item anno Ferdinandus Montisoni *Marian. lib. 30. num. 2. & 6.* Regni comitia egit, quibus absolutis Cæsar-Augustam contendit, Castellam iturus, ut sinistram Gelvensis expeditionis successum repararet, suorumque militum cædem ipse ulcisceretur; quod tamen haud effectui datum. Ast Madritum delatus, die sexta Octobris coram Castellæ Proceribus solemne Sacramentum

(\*) Vide supra Lib. CXXL. §. 57.

Sæcul. XVI  
A.C. 1510.

tum jam olim juxta Bleffensis concordiae pacta præstitum innovavit, ratumque habuit, præsentibus Apostolico summi Pontificis Nuncio, Maximiliani Cæsaris, necnon Caroli Archiducis Oratoribus. Ergo jurejurando pollicitus est, se Castellam, ceteraque regna illi annexa juxta eorum leges, libertates, ac privilegia administraturum expleturumque omnes veri Rectoris, ac fidelis Administratoris partes, atque officia. Post hæc proposuit nuptias Joannæ Neapolis Reginæ Neptis suæ cum Sabaudiae Duce, quorum sponsorum utrinque consensus adeo firmus erat, ut Regina jamjam Sabaudiae Ducissa nuncuparetur; nihilominus tamen hæ nuptiæ suo caruerunt effectu, Sabauda exposita Beatricem Lusitaniae Principissam sibi desponsante.

§. CXXXVI.

*Neapolitanorum seditio occasione  
Inquisitionis.*

*Marian. lib. 30. n. 7.*  
*Raynald. hoc an. n. 29.* **C**um Hispani in Neapolis Regno, ut antea in Hispania, sacrae Inquisitionis tribunal stabilire cuperent, occasione inde captata Neapolitani sub idem tempus graves concitarunt tumultus: Populus enim formidabilis hujus tribunalis seve-